55151
5.

DISSERTATIO MEDICA DE AFFECTIONIBUS EROTICIS,

QUAM Deo duce, & auſpice Dei-parâ, in Auguſtiſſimo Ludoviceo Medico Monſpelienſi, tueri conabitur,

AUCTOR,
EUGENIUS-JOANNES-BAPTISTA DE REYGONDEAUD DU CHATENET, è loco Brigeuil-l'Ainé, Diœceſis Lemovicenſis, Artium Liberalium Magiſter, & jamdudùm Medicinæ alumnus, die 19 Octobris anni 1776.

Pro primâ Appollinari Laureâ conſequendâ.

» Sequimur probabiliora,
»Nec ultrâ quam id quod veriſimilè occurrit,
»Progredi poſſumus, & refellere ſine pertinaciâ;
»Et refelli ſine iracundiâ parati ſumus.

CICER. Tuſc. II.

MONSPELII,
Apud JOANNEM-FRANCISCUM PICOT, Regis & Univerſitatis Medicinæ Typographum unicum.

M. DCC. LXXVI.

Diſcite ſanari, per quem didiciſtis amare:
Una manus vobis vulnus, opemque feret.
Terra ſalutiferas herbas, eademque nocentes
Nutrit: & urticæ proxima ſæpè roſa eſt.

P. Ovid. De Remed. Amor.

ERRATA.

PAg. 15 *lin.* 1 ſatyriaſis, *lege* radix ſatyrii.
Pag. 17 *lin.* 35 tamen, *lege* tandem.
Idem, *lin.* 38 ſpecialis, *lege* generalis.
Pag. 18 *lin.* 20 arteriæ ſperm. anguſtiores aut varicoſæ, *lege* vaſa tunicæ eritroideæ ſtrictiora aut varicoſa.
Pag. 19 *lin.* 3, *adde* Si membrum in verucoſam carnem abierit. *Hoffman Differt.*

NOBILI VIRO

D. D.

SIMONI DE VERDILHAC,

IN JURE UTROQUE LAUREATO,

APUD LEMOVICES EDILI, REGIS CONSILIARIO,

DOMINO DU LOUBIER DU PUYJUDEAU, &c.

AVUNCULE CHARISSIME,

CONSANGUINITATE, venerantiâ concitatus, hoc & ſi tenue opuſculum vòveo, nec quidquam eſt quod poſſim ampliùs. Ignoſcas, amabo, incaſtigatæ

ſcribendi rationi, quam longè ſuperat animi gratitudo erga te; neſtoreos dent tibi annos ſuperi, ut virtutum & doctrinæ exemplo in Arte Medicâ, procurram; & recta ad bona reclinando, numeros expleam,

AVUNCULE CHARISSIME,

Tibi addictiſſimus humillimus &
obedientiſſimus tuæ Sororis Filius,
DE REYGONDEAUD DU CHATENET.

Dabam Monſpelii die
19 Octobris anni 1776.

PROŒMIUM.

IMPROVISÒ cùm homo procumbat, vitaque ejus ſicut flos pereat, aut tanquam pulvis diffletur; neceſſarium fuit ſeriâ occupatione, huic dimovendo periculo, viros judicio perſpicaci inſtructos, inſudare.

Eſculapius, *Hippocrates coos*, *Galenus*, de genere humano optimè meriti, adyta corporis recluſere & primi in hominis penetralibus, ſanitatis, morbique cauſas attingere conati ſunt. Superaverunt viam ſpinis ſparſam, poſteris gemmas fruticum reliquere, quas nec auroræ fletus, nec zephirorum blanditiæ, evolvere adhucdum potuere.

Nec ulla eſt Ars, *Antiſtites ſummè venerandi*, quæ nobiliores ideò partes teneat ïatricâ: cùm diva natura evolvit organa, operam ſubimus ad perficiendas eorum functiones. Quid nempè præſtantius? Quàm ſervare familiæ patrem, patri gnatos, Reipublicæ Cives, & poſtquam bella militantium corpora contuſere, quodammodò id quod habent hæc horridi reſarcire? Satis ſit hæc annotatio, ut cuique pateat propoſitum.

Sparſa ubique fama, Medicorum facta prædicat, per orbem terrarum Ars colitur, & ſi barbari collegia non habeant, non minùs Medicinâ utuntur, ad curanda vulnera, & communiores morborum ſpecies. Tempora, quæ ſicut umbra fugiunt, hanc obſcurare nunquam quibunt. Daretur utinam mihi depingere hujus ſcientiæ ſublimitatem: hæc enim Hiſtoriæ naturali, Chemiæ, Anatomiæ, Geometriæ, cognitionibuſque moralibus, imò & ſacris Artibus, univerſis litterariis præſertim nexa eſt: ſunt debiles ingenii mei vires ut tanto operi par ſim; infauſto ſidere in lucem productus, vim ſuperare non poſſum.

Impullere me otii turpitudo, ſybaritarum damnanda vita, dies labori impendere; mentis inclinationes ſæpiſſimè conſu-

lui, ut jucundior fieret & avorum artem ſuſcepi votis Patris ſummè Venerandi, ïatricæ addicti, obtemperavi; reſtituendæ ſanitatis ſcientiam ſtudio quæſivi. Intellexi jamdudùm neceſſarium eſſe documentis veſtris, *Viri Patres Celeberrimi*, aſſidere, his imbui: aſt de aptitudine mentis meæ ſemper dubitavi.... Ad inſtar apicularum, quæ florum tenuiores eſſentias exbibunt, lectionum veſtrarum mel elicuiſſe amarem; ſed, heu! extra operam fuit labor, filiique dædali fatum, ne experiar, vereor. Me tamen movit benignitas, quâ me accepiſtis. Felix ego ſi de vobis benè merendo, ſub tantis auſpiciis, quondam Artis Pomæria attingere liceat.

DISSERTATIO MEDICA

DE

AFFECTIONIBUS EROTICIS.

SUB variâ adeò facie ſe prodit hæc libido, quam amorem dixere latini, ut modò amænitate, vitæ ærumnas diſpellat, vinculo connectat hominum conſociationem, & in tædio varietas ſit, quo aulici diſcruciantur. Ad mentem (1) *Halleri* in politicum uſum converti poteſt, à quo facilè diſcederem, cùm nunquam conſiſtat humanum genus, neque facilè circà medium ſtet.

Hæroica hæc tempora, quæ à lyricis bellè pinguntur, non beata mihi videntur; voluptate ipsâ cadit voluptas, & mutuis officiis reſpublica fulcitur.

Laudent alii *Petrarchi* dies, eorumque mores, qui ſub *Ludovici Magni* Imperio vitam paſtoralem coluere, ſuis contrariis viget voluptas, & hominis ingenium conſuetudine, etſi lætâ, *Sybaritarum* more diffluit. Ideò ſi ab eo licito amore diſcedas, qui bono & honeſto conſulit, in eo quod ſit laudandum ſe offert nihil: iſte amicitiæ particeps eſt: dùm, inſano amore commotos inter, nullus ſapit. Graphicè incommoda amoris deſcribit *Plautus* in Ciſtell. act. 2, ſect. 1.

Credo ego amorem primum apud homines carnificinam, commentum:
Hanc ego de me conjecturam domi facio, ne foris quæram,
Qui omnes homines ſupero atque antedeo cruciabilitatibus animi
Jactor, crucior, agitor, ſtimulor, verſor in amoris rotâ miſer;
Exanimor, feror, differor, diſtrahor, diripior: ita nullam mentem

---

(1) Eſſais de Politique.

Animi habeo ubi ſum, ubi non ſum : ubi non ſum, ibi eſt animus.
Ita mihi omnia ingenia ſunt : quod lubet, non lubet, jam id continuo.
Ita me amor lapſum animi ludificat, fugat, agit, appetit,
Raptat, retinet, jactat, largitur : quod dat, non dat, deludit :
Modò quod ſuaſit, diſſuaſit : quod diſſuaſit, id oſtentat.
Maritimis moribus mecum experitur : ira meum frangit amantem
Animum ; neque niſi quia miſer, non eo peſſum, mihi ulla abeſt
Perdito pernicies.

Priorum partium ſcriptores, ſcenica dum ſpectacula damnant ; iſtis innixi principiis videntur.

Dum ſpectant mollitie diffluere gentes & zelotipiam adeò obturbaſſe mentes, ut Principes cæterò celebres, parricidii ideò fuerint conſcii, annotant Democraticæ minùs quàm Ariſtocraticæ gubernationi theatralia convenire. Illa enim recedit ex ordine rerum naturalium, niſi quondam felici ſorte Princeps adeò perſpicax ſit ut diſtantiſſima & implicata ipſum non prætermitant.

Extra artem agere animus minimè tendit, quamvis tamen ars omnium poſſibilium rationem habere debeat : proximiùs ad hanc accedens phiſicè amoris affectus ſpectabo, atque primum oſtendam facultatem hanc, quam irritabilitatem vocant, quæ tamen irritatio abſque ſenſatione definitur, adeò ligatam eſſe cum animæ imperio, ut ipſi ſubjiciatur, ubi in conſuetudinem aut in ferocitatem tranſit animi pathema.

Qui blandiendo dulce nutrivit malum
Serò recuſat ferre quod ſubiit jugum. . . . . *Seneca.*

Meliora probant, deteriora ſequuntur amantes.

Si interrogas, inquit Cicero, *quod ſentio*, *neſcio*, *ſed ubi*, *quia ſcire vis in capite.* Specta animalia quædam in fruſta ſecta (1), motum edunt vellicata, abſque ſenſatione. Caput à corpore decollatum viſum os aperire, oculos pervertere per ſeptem horæ minuta ; ideò crines aſſurgunt à capite iraſcentis, vires muſculares phrenitici, maniaci fortitudine vigent, ſuprà quam cuiquam credibile eſt (2). Hoc timor voluptas & reliqui affectus peragunt, & quiſque, occaſione datâ, in ſe obſervare poteſt, quod *Enormon*, dixit *Hippocrates.* Undè vis hæc an à fabricâ corporis, ut voluere *Organici*? An ab animâ, ut voluit *Sthaalius*? An à cauſis occaſionalibus

(1) Genitalia teſtudinis avulſa, etiam 24 horis elapſis, tremere expertus eſt Ill. *Le Roy*, hujuſce Lycæi Cel. Profeſſor.

(2) *De Melle*, De vi vitali.

caſionalibus ad mentem *Cartheſii* ? An ab harmoniâ præſtabilitâ, ut voluit *Lebnitzius* ? An à ſummâ materiæ diviſibilitate, cujus ratione de lucis naturâ participat, contranitente materiâ inerti, ut voluit *de Buffon* (1)? Nodum hunc non ſcindemus: obſervatione tantùm indigui, quâ ſtatutis primariis effectibus, & pro cauſis primariis, receptis, licet phœnomena naturæ intelligere, quod Philoſophiæ *Newtonianæ* & Theoricæ Medicæ convenit.

Neotericorum ſolertia humani corporis humores invenit aliquid de vi vitali obtinere, quandiù corpori viventi inſunt: coerceri aliter fermentationem cibi in ventriculo obſervat *Pringlius*, quam dum alimentalis paſta ſalivâ dilutâ, ſub eodem caloris gradu in vitro retinetur: neque dubitandum eſt quin hæc fluidorum vitalitas diverſa ſit, prout variat influxus vitæ principii; nec omittenda videntur, quæ de venenis intùs genitis obſervat *Hannius*: ſiquidem metamorphoſim ſui generis patiuntur humores, diverſitatis pathematum animi ratione, iraſcens nutrix epilepſiam, tabem generat lactenti, & variæ exanthematum ſpecies naſcuntur à pathematis variis. Iis ductus objurgat medicos *Hannius*, qui remediorum ſupellectili curationes circumſcribunt, parùm ſolliciti cauſarum morbos producentium. Veritatem hujus aſſertionis probant ſuperiùs enarratæ obſervationes, hiſtoria erotomaniæ, melancholiæ, maniæ, tabis dorſalis quæ non minùs accidunt, dum amor medullis tantùm inſidet, quàm coïtu. Obſervat enim *de Lamettrie* (2), madere, amaſiorum genitalia, ſemine, dum de amore cogitant; virginibus aſſidentes adeò commoveri, ut tabifici fiant.

Morborum tabificorum ab hâc causâ orientium natura eſt contranitentiam ſolidorum, humorum legitimam naturam exſolvere. Senſim ſine ſenſu procedunt; & ubi ſunt evoluti, moras diuturniores trahunt, & ſæpiùs ad tumulum ducunt. Forti conſtitutione donatos tempeſtivè fugientes decet ſanatio; ubi adolevit morbus & in convulſivos abiit affectus, palliativam tantùm curationem admittit *Langhans*.

Summa parens natura ſenſu animantia ditavit eo ut ſervetur ſpeciei propagatio: quorum ephemera vita eſt, inſecta qualia ſunt papiliones bombycum continuo amplexu fruuntur, dum vivunt; ſpecies verò animantium minùs neceſſariorum, æſtro per periodos æſtuant. Proclivem, animæ imperium, hominem ad æſtrum, & conſuetudo ſalacem reddit, quamvis tamen fieri queat ut errore naturæ incendantur nonnulli; tales fuere *Democrites*, *Origeneſque*, quorum prior luminibus, poſterior teſticulis ſe orbum fecit, ſuperare ſperantes amoris

---

(1) Supplément à l'Hiſtoire Naturelle.
(2) Phyſiologie.

ſpicula ; ſedet magis in diverſitate jucundorum amoris remedium; mens aliò diverſa ſui fit compos, arte ſe iſtâ magis quàm herbis & variâ negotiorum occupatione defendit, *Lorri* (1).

> Tu tantum quamvis firmis retinebere vinclis,
> I procul & longas carpere perge moras
> . . . .
> Et tu venandi ſtudium cole. . . . . . OVID. *de Remed. Amor.*

Longè anteponenda praxis, gyneceis quæ mollitiei & faſtidii neceſſariò ſedes fiunt.

Vix definiri poſſe cenſet *Venette* num ſequior, potiori ſexu, majori propenſione ad libidinem donatus ſit. Illicò prior videtur majori ſenſibilitate gaudere, aſt facilè calliditate deludere virum & ſuperbiâ ſubjicere addictus, minùs conſtanti libidine premitur : vir contra committit ſe facilè, conſtanti animo agit, intrepidè omnia fert, cupidine preſſus cæcutit, nec ferè unquam mali labem agnoſcit quam dùm bonorum jacturâ, aut mulieris tyrannide opprimitur; ſolvitur ergo certiùs quæſtio, ſpectato rerum uſu, quàm theoreticis rationum momentis, quæ omnes abſtractivæ ſunt.

Nullum latet animo uni ideæ fortiter affixo, ratione conſensûs, qui inter animam & corpus obſervatur interverti, virium organicarum diſtributionem, alias partes plus æquo tendi, alias languere.

Aiſteterii hæc tenſio deliriofa eſt, in iis præſertim, quibus extra ſpem eſt poſſeſſio, animæ talis conditio exiſtere nequit abſque univerſalium partium ſtatu quaſi ſpaſmodico, metum inter & iram vita degitur; notum eſt finxiſſe Poëtas *Gigem* ſuicidii reum fuiſſe, & animi hoc pathema furens ſæpiùs fuiſſe. Languet ex unâ parte humorum diſtributio, ex alterâ verò adverſus originem etiam motus refluunt ex *Hallero* : ſyſtema nervorum quaſi convellitur, ubi non languet, ſenſationes vividiores, ingratæ, tandem hebetes fiunt, & cùm generatim corporis functiones conſentiant & altera alterius fit princeps & miniſtra, noxa infertur vi altrici, coctrici; non mirum ergo ſi chloroſis, flatulentia, anxietates, tædium vitæ, cordis palpitatio, mania, epilepſia, obſtructio alvi, tabes, conſtitutio atrabilaria his ſuperveniant. *Phyſicorum & Moralium malorum parens eſt inſanus amor.*

Huic pathemati refertur manuſtupratio, quo uterque ſexus peccare non erubeſcit, quæ ducat mala benè expoſuit *Tiſſotius.* Huic vitio paret juventus venuſtior, fit negotiorum & ſcientiarum impo-

---

(1) De Melancholiâ.

tens, fiunt in ſequiori ſexu fluores albi inſuperabiles, & in utroque dorſalis tabes, morte ipsâ longè formidabilior. Nec me latet obſervaſſe *Boerhaavium* continenter viventes quandoque etiam languidos, imò maniacos evaſiſſe, *Erebi Authores* ſpicula libidinis etiam ſe in nive pervolvendo non extinguiſſe. Aſt harum idioſyncraſiarum natura ſatis indicat naturæ eſſe obſequendum, nec probat ullo modo inordinatam vitam, quam, hominum vulgus ſibi parit.

Virium muſcularium adeò aucta eſt intenſitas in coeuntibus fortiter, ut, in maniacis & phreniticis, longè ſuperet eam, quæ expectaretur è fabricâ harum partium. Unde ſi diſpendium virium reſpondeat vi, quam exigunt luctæ venereæ à mente productæ, quid ex eis non timendum?

Muſculorum actiones violentiores quibuſcum ruunt in amplexum ſalaces, atoniam ducunt, hocque genus morborum quod *Platnerus* vexatorum vocat, hinc in iis fiunt viſcerum contuſiones, ecchymoſes, anevryſmata interna, varices, hæmorrhagiæ pertinaces, epilepſiæ, apoplexiæ.

Seminis debita excretio ſine convulſiva excretione ruit, ſuperfluum quaſi eſt corporis, ubi ad firmum ſtaturæ ſuæ apicem pervenit, & cum ſummâ voluptate excernitur. Aſt cum naturæ violentiâ infertur, neceſſaria educuntur & filum vitæ ſcinditur. Hoc teſtatur ſeneſcentium experientia, à coïtu, qui ſemper in iis laborioſus eſt; podagrici fiunt & exſolvuntur.

Neſcio quo delirio quidam tentarunt coïtûs etiam violentioris uſum ad curandam febrem quartanam, eo ducti præjudicio, commotione curari poſſe hoc morbi genus. Proſtratæ adeò ſunt in quartanariis vires, ut periculum mortis ſubitaneæ incutiant, qui his præceptis obtemperant. Spectes velim quid, in exhauſto, à convulſione, metuendum ſit, hac nunquam reficiuntur vires (eæ enim regularitate actionum univerſalium renovantur) extinguntur facilè, ſi in debiliori ſubjecto naſcatur ſubitanea & fortis jactura. En vide, quos venus immoderata exhauſit, tremunt artus, oculi obſcuriores fiunt, caput gravatur, mens labori inepta eſt, labitur memoria, cutis arida eſt & urens, gravis eſt ventriculus, tabe depaſcuntur, cachexiâ tument, exſuccum ſanguinem vehunt.

Ne dicant tentigine premi pluries ſenes, falſa hæc eſt, à ſero acri in veſiculis ſeminalibus ſtagnante orta, ſic in arthriticis naſcitur ad venerem proclivitas.

Annotandi locus ſe offert, nonnullos qui Auctoris nomine ſuperbiunt, humani generis hoſtes eſſe infenſos, eos velim his annumerare, qui lectionibus conantur ſaturnalia extollere, morbo venereo formidabiliores ſunt, lentè ſpargunt venenum, degener fit genus humanum, hinc diſcordia, dedecus familiarum; civilis conſociatio-

nis perditio, quæ ducta ſimilibus morum germinibus ſenſim proditione redundat.

Quantâcumque veneratione dignæ ſint leges ſociales & religioſæ, quæ hominem ab indicato naturæ ordine diſpellunt regimine, arti noſtræ minimè conveniunt, cum iſta morbos avertere & ſanare conetur, & illæ ad hos proximè diſponant. Conſule ſcripta *Ramazini* de virginum veſtalium ſanitate tuendâ, facilè patebit quâ arte à morbis imminentibus arcere morbos continenter viventium conetur: naturam audi, has vanitates exulabis, quid eſt extra aleam procul removebis. Obſervatum ſæpiſſimè fuit plures ex virginibus fato fungi ſub ſtatu conſiſtentiæ, quam etiam volupè viventium, videntur ergò ſpeciei propagationi qui ſerviunt & præmio donari & minus à naturæ legibus recedere, abſtinentibus, qui negantiam profitentur.

Aſt dùm parùm convenire hanc diætæ rationem naturali rerum ordini notamus, damnat ars medica laſciva colloquia, erotica opera, illecebroſas artes, oſtendit hanc improbam mali labem, vires ante proceram ætatem convellere, diffluentes, cætero quin, robuſtiores viros; mentemque parvi conſilii inſtigatam, reddere. Philoſophia vero docet procellis agitari libidinoſum, ſui non compotem eſſe, nullum eſſe pathema, quod diriùs venereo hominem divexet & ſuperare mala quæ hoc nefando vitæ genere naſcuntur, ea quæ voluptas prodit. Neque enim tantùm morborum conſcii ſunt, qui inconſultò veneri auſcultant, ſed etiam in contemptionem adducuntur, fatui nomine publicitùs decorantur, levitatum crepundia ſunt.

Bruta neceſſitate ducta uniuntur, mas feminam quærit & prægreſſo æſtri tempore, ſedata ſunt: à blanditie, lenociniis, ornatu, apparatu, aſtutiâ, redit ea ipſarum conditio aliena, naturæ conſonos mores habent, fit homo, rationis abuſu, ipſis ſæpè inferior, undè jurè dixit Satyrarum Scriptor:

> De Paris au Japon & du Japon à Rome,
> Le plus ſot animal, à mon avis, eſt l'homme.

De cætero apathiam ſanitati tuendæ oppoſitam credimus, ſed in hoc ſenſu receptam, leves exceſſus redundare ad corporis functiones perficiendas, ut dixit *Hippocrates.*

DE SENSU EROTICO.

Duplex eſt in homine facultas ſentiendi, alia brutis, hominique communis, alia verò ipſi homini propria. Prior ſenſus eſt mechanicus ſpontaneus, hoc impellimur verſus objectum: poſterior rationis particeps eſt, viſûs expreſſio præcipuè hunc ſenſum determinat, & dum

amoris objectum homo ſibi repræſentat, cadit ſub memoria hujus repræſentationis viſio.

Creditur nunc duplex eſſe in corpore emporium unum ad cerebrum referendum, aliud in viciniis diaphragmatis, in ſolaris & ſemilunaris plexûs unione, qui trunci ramos intercoſtalium ſuppeditant (1), quorum unio cum cæteris corporis nervis reddit rationem conſensûs mutui, qui inter genuinas, ſimplices, veras ſenſationes & naturales eſt. Materialis hæc cupido ſuâ ſponte fit, vera, ſimplex eſt. Rationalis determinatur voluntate & intermittitur aut coercetur. Hanc theoriam ſatis edocent amaſiorum triſtitiæ, venerea libido, quæ circa diaphragma commovent, hinc renes, ſplen, hepar, videntur, affici variâ ratione pathematum amaſiorum. Is ſenſus naturalis dicitur aut meliùs ſpontaneus, ſiquidem hoc utitur natura ad provocanda animantia.

Non mirum ergo ſi in quibuſdam ſubjectis motus amatorii cor adſtringant, convellant, dùm in aliis corpus quaſi laxent, videnturque diſpergi à centro corporis ad circumferantiam. Nec alia præter eſt pars, quæ varietatum, quas experiuntur amaſii, rationem reddat, quàm quæ deſignata eſt, huic opinioni conveniunt Demonſtrationes Anatomicæ *Winſlowii.* Sedem hujus ſenſûs *Helmontius*, *Lacaſius* circa ventriculum aut diaphragma præpoſterè poſuere.

Ignoratur quâ arte tranſmittatur hæc impreſſio medullis eâ celeritate, quæ conceptum ſuperat, nullum adhuc propoſitum ſyſtema quadrat phænomenis.

Modificationes verò, quas experiuntur animantia, dùm ſinu ſuo fœtus fovent, alis protegunt, noxia repellunt, aſſequi non eſt datum ab eis, quæ experiuntur organa ſub ſtadiis prægnationis, incubationis, partûs, modificationibus pendent quidem, hæc indicantur obſervatione, cætera tegit natura ſacro involucro.

Hujus ſensûs adeò magna eſt præſtantia, ut hoc natura reviviſcat, Philomelæ cantum determinat, ad nidum aſtruendum impellit. Hoc fit naturæ obſequioſus.

Perceptiones ideæ, quas unit, disjungit homo judicio, voluntate, quibus ad bona vel ad mala pro arbitrio reclinat, totidem ſunt animæ modificationes, quæ huic ſenſui indefinito modo, varietatem inducere poſſunt; ſic naturalia, accidentaliaque conjunguntur; hinc morum, temperamenti, climatis convenientia, nervorum intercoſtalium diverſa tenſionis relatio ſenſui huic varietatem inducunt; quibuſdam placet voluptas effrenis, aliis aſtutia, candor, ſervitium; aliis vero domi-

(1) Winſlow. Anatom.

natio, iſtis modeſtia, morum regularitas, illis libertas animi & ſcortatorum negotia aut impudicitia. Iſti ſibi oppoſitis animorum agendi modis gratè, alteri ingratè ſtimulantur, alteri irritantur, & quot aliæ obſervantur modificationes quæ ſivè ætatis, climatis conſuetudinis, liberalis educationis ratione fiunt.

Intercoſtales nervi determinatè irritati ſenſum ergo amoris excitant, docet obſervatio ad hoc opus conferre ſeminis acrimoniam, congeſtionem, affrictum, titillationes genitalium, mammarum, ſic enim organa hæc diſpoſuit ſummus artifex ut definito modo agant in intercoſtalium *Aiſteterium*, ſic naſcitur brutis & homini communis hæc ſenſatio. Quæ autem fit in extaſi amatoriâ dicta erotomania (quæ eſt delirium ſimpliciter melancholicum cum in ſimplici contemplatione ſitum ſit) ad emporii cerebelloſi vitia eſt referenda. Hoc delirio Ariſtotelem laboraſſe ferunt, & quaſi epidemicè ſub primis franciæ imperii ſæculis viguiſſe legimus, alias verò, utraſve has ſenſationes experimur, ut docet Hiſtoria incuborum & ſuccuborum, quæ ut decet intellecta vix differt ab incubo vulgariter ſic dicto; rejicienda enim ſunt commenta hæc fabuloſa, quibus olim faſcinabantur animi, hoc errore non fuit expers Divus *Auguſtinus*.

Prorsùs latebit nos ſemper conditio Aiſteteriorum, quæ hos ſenſus repræſentat. Ad mentem *Zimermami* (1) ſic laboravere rapti extra ſe extatici, pſeudo Prophetæ qui plus æquo ſapientes non habuere in ſuâ pietate meditativâ frænum: *ſapere*, enim, *oportet*, inquit Apoſtolus, *ad ſatietatem*.

Delirio huic parùm conveniunt jejunium, flagellatio oratio conſtans, alimenta acria ſucculentiora, vita deſes, negotiis artium expers.

DE REGIMINE.

Si Oraculo Delphico fides eſt, timendum eſt ne omninò coerceatur diræ hujus paſſionis ferocitas, vitæ enim immineret periculum.

Hæc tamen ubi excedit, involuntariis erectionibus divexat, neceſſariò eſt temperanda.

Alia auxilia his accommodata dogmatica ſunt, alia empirica: dogmaticis enumeranda veniunt alvi lubricitas, victus Pythagoricus, refrigerans, parùm nutriens, balneatio, uſus paregoricorum, venatio, itineratio, ſomnus protractior, amicorum cœtus & quæ melancholicos juvant: fugienda ſunt vita deſes, lumborum, genitalium æſtus & affrictus, uſus acrium, ſtimulantium.

---

(1) Traité de l'Expérience.

Empiricis auxiliis annumerantur eruca, ſatyriaſis, camphora, ſemina rutæ, &c. quibus tribuebatur olim vis ſemen generandi & deſtruendi; aſt juvant tantùm ubi morbi genitalium à defectu propulſionis pendent *Gorter*. Secus morbum fovent & acriorem eò magis reddunt, quò vi ſpecificâ vias uropoiecticas magis ſtimulant. De cætero non minus inutilia vulgò ſunt, quàm quæ ſpermatophororum nomine dignoſcuntur, quæ ſingula, niſi in quantum nutriendo ſtimulant, prodeſſe queunt, interea tamen partibus ſuis volatilibus, ſpirituoſis, ſalinis vim naturæ inferunt, ſicque ſenſim temperiem infirmant.

Coïtum qui facilem habent & fortes ſunt, hunc omni horâ experiri queunt, abſque ſanitatis diſpendio; tamen quoniam hanc paleſtram ſequi ſolet animi defectus quidam & liquor libidinis tanquam ſpiritus rector ſit, quem omnes corporis partes emittunt (1), ut ſenſit *Hippocrates*, ad inſtans ſaltem vires frangat univerſas, tempore digeſtionis fame preſſis nocet.

Hæc tamen minùs convenit lex mulieri quam viro, nempè videmus furore nonnullas premi, & laſſatas non ſatiatas recedere; imò ipſis coïtum eſſe ſalubriorem, has juvare modò non ſit remixtus cum triſtis animi affectibus: quædam tamen debilis conſtitutionis in debilitatem adiguntur, nerveâque cachexiâ afficiuntur, dum libidinoſis deliramentis, criſſationibus venereis premuntur.

Expedit autem hanc luctam determinari per copioſam ſeminis cocti eductionem & per ſenſum levitatis, qui ſequentem ſomnum conſequitur, unde quiſque eſt in hoc ſibi Medicus.

Fugiendæ diuturnæ venereorum cogitationes.

Coïtus à potu, à motu, coctionis tempore nocet.

Poſt ſomnum ſalubrem eſſe apparuit *Sânctorio*.

Cum muliere concupitâ propter animi conſolationem fit facilior & non minuit corporis pondus ad ſenſum, ſi non excedat.

Hieme magis quàm æſtate & perfectâ coctione juvat.... à mente non determinetur, mentem enim & memoriam læderet.

Nocet iis in quibus corneæ opaciores, vitreæ, auditus, bilis, urinæ ſecretio, difficiles, qui cordis palpitatione laborant, aut morbis acutis reſurgunt; propter virium lapſum, ſpiritus tenuiores minùs abundantes; præſertim ſi accensâ libidine fiat, ſimiles enim orci faucibus erepti ſunt.

Quod ſi acceſſerint mala ſuperiùs expoſita, primò cogitandum eſt de primis viis: multi enim derepentè febribus malignis correpti ſunt

(1) Summè Venerandi Cancellarii Cl. Barthez Nova Doctrina.

Cl. *Eſteve* (1) vires inſtaurendæ; cui ſcopo multum favent decoctum perdicum & lentium ruralium ſub formâ pultæ, ovorum vitelli, &c. Quod ſi morbus moras trahat, & abeat in hecticam, prodeſt in primo gradu in phlegmaticis uſus kinækinæ, proſunt balnea frigida: in bilioſis juſcula teſtudinum, lac aſininum & alia auxilia quæ ſpeciali affectioni, cui anſam præbet, ſubjecti & viſcerum idioſyncraſia indicantur.

S A T Y R I A S I S.

Satyriaſim dico maniam quam viri habent ad feminarum conſortium; ſodomicum & horrendum congreſſum, officiorum ſocialium, virtutis obliti.

Inter eos non nulli ad aſpectum rei, quæ ad veneream accedit, commoventur, ſemen proliciunt, præſertim lecti calore, ſomniis excitati. Pollutiones experiuntur, ſenſimque tabificantur, in quo recedimus à ſcholaſticis, qui Satyriaſim dicunt tentiginem conſtantem.

Hoc morbo affectos urget vehemens pathema, illicò floridi apparent precariâ juventute fruentes, in iis judicium ſuperat libido. Senectute, ſi non morte citâ trahantur, precoſi laborant, alvina viſcera citò obſtructionibus peccant, flatibus, depravatis coctionibus torquentur, & triſtis abit venus.

C U R A T I O.

Sedet & in cito auxiliorum moralium uſu. Cætera generalia ex nymphomaniæ curatione deſumuntur. Quoad ſpecialia, applicatio laminæ plumbeæ, ſuccus expreſſus nymphæ, lactucæ, camphora jure commendantur: aſt in effœtis, roborantibus, balneis frigidis, kinakina utendum. Ad revellendum, catharticis elleboratis uti decet, quamvis ab eâ praxi omninò recedant veteratores, *Meat.*

N Y M P H O M A N I A.

Nymphomaniam vocant Medici effrenem, feminarum, amatoriæ cupidinis libidinem.

Quæ ſpectatur vel in quantum magis à mente quàm ſtimulis topicis genitalium pendet, quam ſpeciem erotomaniam dixit *Sauvages* (2), vel in quantum ſubdita eſt voluntas his ſtimulis & fervorem concipit ad rem veneream.

Rursùs

(1) Prælect.

(2) Claſſes morborum.

Rursùs modò feminæ continenter vitam agunt moribus, religione, pudicitiâ coercitæ, modò ſe libidini committunt.

Aliæ omne genus amaſiorum admittunt, aliæ unum tantum.

Atque multiplices differentias accipit ratione gradûs.

Hoc vitio laborant temperamento admodùm ſenſibili donatæ, bilioſæ.

Huic favent laſciva negotia, vita otioſa, amaſiorum blanditiæ, conſuetudo, manuſtrupatio (quâ fit ut confluant ſpecialiùs ad genitalia humores) judicium infirmum, clima retorridum, alimenta ſucculenta, quibus ſeminis augetur copia, iſtius acrimonia, infirmatæ coctiones, idioſyncraſiæ. Adeò diriùs urget iſtis temporibus, ut horrendæ mulieres ejuſdem ſexûs contractent alias, eiſdemque officiis ſerviant, queis utuntur amantes, donec ſemen proliciant: has galli *Ribaudes* vocant.

Hoc morbo laborantes naſcuntur oculorum jactationibus laſciviâ, garulitate, inconcinno animo, riſum modò ſolvunt, modò melancholiâ, & ignibus volaticis, ſi de re amatoriâ alloquantur, premuntur.

Non nullas adurit fervor viſceralis, ob intumeſcentiam phlogodeam genitalium, marem admittere nequeunt: fluxu albo laborant, niſi dum fortiter libant, quippe enim coercetur, partium phlogoſi, excretio hæc ſeroſa, in extremo gradu inſaniunt, fiunt macilentæ.

Ubi diutiùs inſedit vitium medullis, fracto ſolidorum tenore perverſa humorum mixtione, pallido faciei colore, laſſitudinibus, torpore animi, apetitûs dejectione, tremoribus cordis, pulſu languido laborant.

Curationem hujus morbi adimplent (ſi morbus ſimplex ſit, & in primo gradu) præter moralia auxilia, alvi ſolutio per emollientia, balneatio, itineratio, ſerum lactis, victus blandus facilè ſuperabilis, conjugium.

Hæc tamen nocent ſi effœta temperies & ad regimen roborans confugiendum.

In morbi ſummo gradu emulſiones, ſanguinis miſſiones repetitæ, ſapones acido dulces, balneatio, nitrum, paregorica, anodyna, diæta aquoſa, tenuis ſunt imperanda.

Notabimus tamen adeò diverſas eſſe idioſyncraſias, circumſtantiaſque, ut nulla ſpecialis ſit admittenda curatio, ex datorum numero determinet curationem clinicus, multi hoc morbo correpti balneis frigidis, kinakina, moſcho, camphorâ, elixirio *Mynſichii* curati ſunt, fruſtra adhibitis emollientibus, lacticiniis; ad hæc quandonam confugiendum ſit commonſtrant leges ſemeioticæ.

DE PHILTRIS, INCANTATIONIBUS.

Amaſiæ deſperatio, dùm aliò ſe convertit amans; iſte ſibi compos, eò duxere ut ſuperantem conceptum adeò fortem & inſanum animi errorem aut pharmacis aut cauſis ſupernaturalibus tribuerint. Naturalis Philoſophia, cognitioque facultatum humanæ mentis edocent, nec quidquam in rerum naturâ, (ſi ſummum artificem qui providus, immutabilis, primariis naturæ legibus non deflectit facilè excipias) quod determinatè pulchrum, ignotum imaginationi imprimat, exiſtere.

Pharmacis tamen ſedes venerei ſtimuli vexari valet. Sed quæ ferocem impreſſionem exequuntur, humorum diſgregationem, effuſiones, ſolidorum motus inordinatos, mentis vagas alienationes ſimul agunt, quod ſtatuunt *Plutarchi*, *Schenkii* obſervationes.

Nec admitti poteſt quidquam in hominem agere, quod per Phyſica non agat principia. Præjudicia & inſcitiæ iis oppoſita, tam apud veteres quàm apud vulgus, ſparſere principia.

Hinc vili pretio vendenda, quæ de incantationibus, faſcinationibus, ars magica prædicat, quæ muliercularum, ſimplicium, ignarorum narratiunculis, præjudicio fulciuntur: falluntur quidem fanatici animi, fiuntque ideò ad venerem inhabiles. Sed ad mentis perturbationes hæc referenda, quod obſervatione, experientiâ demonſtraverunt *Gaſſendi*, *Venette*, &c.

IMPOTENTIA VIRILIS.

Oritur vel defectu, vel corruptelâ ſeminis, vel vitio organorum. Apathiâ, metu, pudore cum non excernitur. Deficit ſemen, ſi ætas provectior, ſi hæmorrhagiis, evacuationibus ſeroſis, morbis diuturnis; debilitate humores ſint exſucci, ſi non, ut decet, moveantur, ſi varicocele, hydrocele laboret ſpermaticus funiculus.

Si ratione idioſyncraſiæ arteriæ ſpermaticæ anguſtiores, aut varicoſæ ſunt.

Deficit in eunuchis, qui duplicis generis ſunt, quidam enim tales fiunt extirpatione teſtium, alii funiculi ſpermatici diſtorſione.

Si contabeſcant teſtes vitio cæterorum organorum, ſi orificium veſicularum in urethra ſit coalitum, veſiculæ excorrugatæ, anguſtatæ ſint. Quo in caſu ſuadet *Ballonius* (ut major coacervetur ſeminis copia) multam titillationem organorum ante coïtum, & retentâ urinâ, emitti ſemen. Vitio cremaſteris muſculi, quo elevantur teſticuli, ut copioſior fiat ſeminis excretio in coïtu. Vitio erectionis, ſi muſculi huic apti, paralyſi aut atoniâ peccent. Si talis ſit baſis balani, ut

difficilè nerveo ſpongioſa ſubſtantia non recipiat ſufficientem ſanguinis quantitatem *Morgagni.* Si balanus nimium diſtendatur, & ſic urethræ intercipiatur cavum, ſi nodoſus ſit, *de Sauvages.* Si adeò multum diſtendantur corpora cavernoſa, ut glans non recipiat ſanguinem *Morgagni.*

Si præputii orificium ſit anguſtius, & occludat urethræ exitum, *Sauvages.* Si uretra catharris veſicæ, fundentibus maximam muci copiam, obſtruatur: aut hæc callis, cicatricibus, porris, verrucis obſideatur. Tandem propter ventris polyſarchiam, tumores varios in vicinis partium naturalium.

Notabimus interdum accedere bradyſpermatiſmum, aut tardam ſeminis ejectionem, ſive quia non concupita eſt mulier, aut ſenior, aut delentur vaginæ rugæ, *Haller*, (quod vitium emendant meretrices lavacris frigidis, acidis, aſtringentibus) aut propter feminæ frigiditatem, immunditiem quæ ſalacitatem obtundunt.

IMPOTENTIA FÆMINARUM.

Arettæ vocantur eæ, in quibus oræ uteri vaginæ, diduci à mare coeunte nequeunt.

In quibuſdam quoddam apparet veſtigium urethræ, lotiumque circa vaginam effunditur, & putreſcens creat tenſiones & dolores moleſtiſſimos.

In aliis craſsâ & densâ membranâ carnosâ clauſæ ſunt vaginæ oræ, & ad menſtruationis tempora fortiter à ſanguine diſtenduntur.

In cæteris ſive ob partum difficilem, variolas mali moris, & poſt quamdam exulcerationem, vulvæ labra coaleſcunt, aut varicibus, conſtanti phlogoſi laborat vulva ut admittere nequeat marem.

Impotentes redduntur etiam mulieres, ſi uteri collum concorporatum ſit utero *Celſus*, ſi tuberculis, fungis, ficubus, carunculis, ſarcomatibus impediatur penis ingreſſus.

Si vagina uteri de repentè finem habeat, quo in caſu ne veſtigium quandoque ejus reperitur diductis pellibus.

Si invertatur uterus, prolabatur, quem caſum ineptè pro hermaphrodito habitum eſſe refert *Heiſterus.*

Tandem admittere nequit marem femina ob vicinarum partium tumores & depravatam conformationem oſſium pubis & coxarum, quod in rachiticis quotidiè obſervatur.

Committenda eſt naturæ aut viro forti ſtrictura quæ non lædit functiones fit enim ſæpius ut accedentibus doloribus menſtruationis ea ſolvatur.

Quod ſi accedant inde morbi, aut conjugii conditio deſiderat;

videndum an arte malum ſuperabile, tunc admittendæ curationes de quibus vide *Heiſterum.*

Vide nunc, quæſo, an documenta, quibus nos imbuunt magiſtri ſalacitatem ſemper ſervare queant ſponſi.

TABES DORSALIS.

Qui hoc morbo corripiuntur modò ſpontè, modò dum alvum aut urinas deponunt, modò præviâ tantùm erectione morbosâ, ſemen evacuant. Senſum formicationis à capite ad lumbos experiuntur, gravatur caput, exareſcunt accedente interdum cachexiâ. Doloribus rheumaticis, viſus & auditus debilitate laborant.

Cauſæ referuntur ad abuſum rei venereæ, arthritidis ad genitalia confluxum, ad gonorrhæas malignas, quæ veſiculis ſeminalibus, eorumque orificio laxitatem, roſionem movere, ad ſeminis corruptelam, acrimoniam, tenuitatem.

Is ſimplex eſt vel malo hypocondriaco, febri hecticæ conjunctus.

In primo gradu & ſubjecto nondum ætate provecto, ſanabilis; difficilè verò in 2°. gradu; in 3°. nunquam.

Abit facilè in tremorem convulſivum, phthiſim pulmonalem, hepaticam.

Multiplici methodo curatur is morbus: decet in 1°. gradu, ubi præſertim violentiâ luctæ diſtractæ ſunt fibræ muſculares, & à textu cellulari, quo ligantur, dimotæ; uti balneis frigidis, kinakina, acidis mineralibus. Prudenter uſurpentur ſi tantùm laxitate peccat ventriculus.

Qui ſimpliciter tabe afficiuntur ii ex *Hippocratis* præcepto, lacte aſinino utantur.

Notavit *Hippocrates* in quibuſdam vigere conſtitutionem plethoricam & ſanguinem in iis eſſe mittendum, quod vulgari opinioni opponitur.

Subſtantiæ analepticæ in uſum veniant, ſi ſtomacho conveniant.

Cavendum ne phlogoſi tententur partes, in quo caſu juvant antiphlogiſtica, niſi propulſionis defectu pendeat; tunc enim reſolventibus uti decet.

Injectiones, topica, aſtringentia, reſolventia, ſtimulantia pro diverſitate cauſæ proſunt.

Vita mollior nocet.

Aër frigidiuſculus, equitatio inter diætetica auxilia, palmaria ſunt.

HERMAPHRODITI.

Naturam unam & eamdem operandi rationem in generandis corporibus habere patet, ad ejus agendi modum attendenti; noſcuntur enim

conſtanter ex animali ſibi ſimili animantia, quaſi eſſent primitùs delineata. Et ſi quondam luſus agit diva parens, id in quantùm accidentaliter phyſicis intervertitur; hinc monſtrorum geneſis, quæ partium numerus, ſitus, conformatio faciunt.

In vegetabili ut in animali regno ſexus utroſque in eodem individuo reperiri certiſſima eſt religio, *Linæi* (1) *Swammerdamii* (2) obſervationibus demonſtrata, at ſpecies quæ in ſexus diviſæ ſunt in eodem individuo uniri impoſſibile videtur. Si quondam præter apparuit (3), id ſive quia conformatione externa & præjudicio deluſi ſunt viri celebres, ſive quia imperiti artifices errarunt & fefellerunt.

Viſa eſt urethra habens formam dimidiati canalis, producta per dorſum penis (4) viſa eſt à genitalibus ſeparata & ſub vulvæ faciem aperiri. Viſi ſunt teſtes huic pſeudo vulvæ adhærere: obſervati ſunt clitorides monſtruoſi; aſt nihil præter.

Conſpirant quidem utrinque conjuges generationi, retinent ovaria formas quas fœtibus imprimunt, ſed nunquam ſic deflectit natura, ut fiant hermaphroditi.

---

(1) Siſtema Naturæ.
(2) Biblia Naturæ.
(3) Confer. Bartholini, Kerkringii, Tulpii, Vauderviel, Act. Acad. Paris. 1720.
(4) Morgagni, Gianella, Dict. Encyclop. au mot *Hermaphrodite.*

FINIS.

MEDICI ad Deos nulla re propiùs accedunt, quam ſanitatem hominibus dando, eoſque orci faucibus eripiendo: quapropter omnes qui ſeſe ſtudent ïatricam colere, ſummâ ope niti decet, ut artis pomæria attingere poſſint, & à genere humano benevolentiam impetrent: at verò viribus meis indubito. Proclivitatibus veſtris, pereruditi ſtudiorum ſocii, frui toto pectore amarem. Ad artium præclariſſiam ociùs progredi, majoraque tentare opinarer: ſed ne navis frangatur vereor & dùm collaudationes veſtras aggredi ſuſcipio, finem dat mentes meæ debilitas; quod ad vos attinet ſicut Theſeus à

patre ſuo avidiſſimè expectatur ; eodem modo adventum veſtrum ſitienter expetit patria ; illa Appollinares Laureas vobis reſervat ; fama per orbem, facta prædicandi veſtra, calidè cupida eſt : intereà precibus ex oro ut ſi in hac opellâ mendæ ſint, emendetis, cùm nec amuſitatum opus componere potuerim.

> Primitias dedimus quas noſter agellus habebat
> Quales ex tenui rure venire ſolent.

DISPUTATURI.

N. N. D. D. PROFESSORES REGII.

N. D. JOANNES-FRANCISCUS IMBERT, *Cancellarius & Judex.*

N. D. PAULUS-JOSEPHUS BARTHEZ, *Cancellarius & Judex Adjunctus.*

N. R. FRANCISCUS DE LAMURE, *Decanus.*

N. D. CAROLUS LE ROY, *pro Decanus.*

N. D. GASPAR-JOANNES RENÉ.

N. D. ANTONIUS GOUAN.

N. D. FRANCISCUS BROUSSONET.

N. D.